

iuri parere negligeret, penam eiusdem terrestris Comes iudicis nostri predicti recipere teneretur, et receptam ipsi Comiti nostro assignare; nec aliquis inter ipsos terrestris Comes esse posset, nisi de communi consensu eorundem; et euoluto termino anni terrestrem Comitatum renouandi haberent facultatem. Subiunxerunt etiam, quod nullus collectorum Jobbagiones in cura eorum Jobbagionum Castri existentes dicandi haberet optionem; nec ratione iudiciorum exercitus ipsos possemus aggrauare, nisi eadem collecta emergeretur per regnum supradictum. Curialis uero Comes Zagrabiensis predictus nullo vnquam tempore posset descensum facere inter ipsos. Nos itaque auditis, et intellectis libertatibus supradictis, volentes plenius certificari de eisdem, vniuersos nobiles regni, quorum multitudo aderat copiosa, requisiuimus, qui vnanimiter retulerunt, quod iidem Jobbagiones castri, a tempore, cuius non exstat memoria, in libertatibus predictis permansissent. Vnde nos per Nobiles regni certificati de libertatibus supradictis, easdem, ne in futurum per quempiam possint irritari, presentibus duximus roborandas. In facti memoriam, et cautelam ampliorem, presentes contulimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabie in ascensione Domini. Anno ab incarnatione eiusdem MCCLXXVIII. Igitur nos iustis et legitimis petitionibus eiusdem Comitis Ladislai fauorabiliter inclinati, ipsum priuilegium ratum habentes et acceptum, de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, dupplicis sigilli nostri patrocinio duximus roborandum. Datum per manus discreti viri Magistri Nicolai, aule nostre Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini MCCLXXIX, regni autem nostri anno septimo.

Transumptae ac confirmatae a Sigismundo Rege a. 1436. et a Vladislao a. 1514. Ex harum pari vidimato liberalitate Ill. D. Baronis Bedeković, obtinuit eas Georgius Fejér et exhibuit in Codice diplomatico R. Hungariae. Tom. V. Vol. II. p. 498.

LXXII.

Anno 1279.

Comitatum Wolkov (Valkoviensem) iurisdictioni Ducis totius Slavoniae subjectum fuisse patet.

Capitulum Ecclesie Beati Petri de Posaga, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, salutem in Domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire: quod Ladizlaus, filius Comitis Pasca, et Nicolaus, filius Emchud, ab vna parte; Magister Dacianus, et Christoforus, filii Johannis, consobrini Comitis Pasca, ab altera, coram nobis personaliter comparentes, ydem Ladizlaus et Nicolaus confessi sunt viua voce, quod terram Borsod vocatam, in Comitatu de Wolkou existentem, quam rex Bela felicitis recordationis adhuc tempore sui Ducatus Comiti Pasca, patri eiusdem Ladislai contulerat, cuius